ventorum adeo vehemens in regione Coloniensis civitatis et a longe circumpositis locis, quod multa templa ecclesiarum et domorum excelsa et solida edificia subvertit et silvas multas arboribus prostratis evulsis radicibus in solitudinem redegit.

Huius Lodovici IIII imperatoris temporibus inter regem Francie et regem Anglie inicia bellorum suscitata postmodum per longa tempora cum multo bellorum sanguine et terrarum vastacione dampnabiliter succrevit. Eduardus namque rex Anglie habens in uxorem sororem [33] Caroli Francorum regis perverse agens in regno, contra leges quoque regni iuvenum utens consilio, honores et libertates principum et maiorum cepit infringere et homines infinite [k] nacionis ad dignitates extollere super ipsos. Cum autem idem rex Anglie per regales et principes sue parentele argueretur super istis, ipse exacerbatus quam plures comites et barones regni alios suspendi, alios mandavit decollari. In qua turbacione regina Anglie occulte recedens in Franciam ad fratrem regem scilicet Francie abduxit secum filium suum primogenitum nomine ~~scilicet~~ similiter Eduardum, adhuc pupillum, faciens moram in Francia per plures annos una cum filio suo. Tandem captato tempore oportuno eadem regina Anglie cum nonnullis baronibus et nobilibus regni, qui cum

k) ita cod. Wohl infime.

33] Isabellam.